



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Explanatio In Psalmos**

Complectens primos 25. Psalmos

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Dusseldorpii, [1761]**

**VD18 15558428-001**

Psalmus XII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53377](#)



¶. 9. *Tu Domine servabis nos, & custodies nos à generatione hæc in æternum.*

Juxta promissa tua, Domine, semper nos servabis, & custodies.

¶. 9. *In circuitu impii ambulant: secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.*

Quasi quæreret aliquis: Quid de impiis fiet, dum tu servabis nos? R. Impii interea, dum nos securi sumus sub alis tuis, in circuitu ambulant, semper ambientes bona hujus Mundi, & nunquam satiandi. Et cùm Deus secundum altitudinem suam, sollicitudinem gessit de specie humanâ conservandâ; & quia in magnâ multitudine, paucorum est perfectio, cùm numerus stultorum sit infinitus, ideo, & ubique inveniuntur impii, in circuitu ambulantes.

---

## PSALMUS XII.

**T**itulus: *In finem, Psalmus David.*

Argumentum est oratio ad Deum tempore tribulationis.

¶. I.

**V.** 1. *Usquequò Domine oblivisceris  
me in finem? usquequò avertis fa-  
ciem tuam à me?*

Tentatus duo mala pati solet, prava desideria in voluntate; dum hæc urgunt, videtur Deus oblivisci, & animam deserere. Dein patitur tenebras in intellectu; ex sic videtur Deus, qui lux est, avertere faciem suam ab animâ. Ab utroque vult David liberari.

**V.** 2. *Quamdiu ponam consilia in ani-  
ma mea? dolorem in corde meo per-  
diem?*

Quamdiu propter obscuritatem intellectus varia excogitabo consilia, ut à malo præsenti liberari possim? Quamdiu ob desideria, infestantia cor meum, tristis ero totâ die, ne forte offendam Deum meum?

**V.** 3. *Usquequò exaltabitur inimicus  
meus? respice, & exaudi me Do-  
mine Deus meus.*

Exaltatur inimicus, dum hominem opprimit, tum ingerendo prava desideria, quæ homo non potest excutere; tum tenebras offundendo, quas non potest



test dissipare. Contra utrumque malum  
invocat auxilium: *respice, converte fa-*  
*ciem; exaudi, ne obliyiscaris, sed juva*  
*exoratus.*

\*. 4. *Illumina oculos meos, ne un-*  
*quam obdormiam in morte, ne quan-*  
*do lieat inimicus meus, prævalui*  
*adversus eum.*

Duobus modis homo liberatur à mo-  
lestiâ temptationis, vel per gratiam Dei fu-  
gato tentatore; vel per consensum in pec-  
catum satiatâ libidine; petit autem libe-  
rari primò modo. *Illumina &c pelle te-*  
*nebras mēntis, ne consentiens defideriis,*  
*in mortem animæ incidam, & obdor-*  
*miam, h. e. non amplius sentiam crucia-*  
*tum ex temptatione. Ne quando dicat &c.*  
*ne glorietur Dæmon, à se victum servum*  
*Dei, quod etiam in injuriam Dei cede-  
ret.*

\*. 5. *Qui tribulant me, exultabunt,*  
*si motus fuero, ego autem in misé-*  
*ricordia tua speravi.*

Explicat rationem superiorem: nam  
*exultabunt &c. non solum si cessero, ut*  
*victus; sed etiam si motus, h. e. si paulis-*  
*per*

per nutare cœpero: Dæmones enim tum  
præcipue extitant, si vincant virum ali-  
quem perfectum. *Ego autem &c.* est no-  
va ratio, cur deceat eum juvari à Deo in  
tentatione, quia scilicet, fatus misericordiæ  
Dei, & non suis viribus tentatori resistit.

¶. 6. *Exultabit cor meum in saluta-  
rituo, cantabo Domino, qui bona tri-  
buit mihi, & psallam nomini Do-  
mini altissimi.*

Ultima ratio, quâ Deum ad subve-  
niendum flectere conatur: liberatus à ten-  
tatione, gratus beneficium celebrabo,  
exultando, cantando, psallendo, i.e. cor-  
de, ore, opere: ad cor pertinet exul-  
tatio, ad os cantus; ad opus pulsatio ci-  
tharæ.

---

## PSALMUS XIII.

**T**itulus: *In finem, Psalmus David. Vi-  
de Ps. IV.*

Argumentum est *deploratio naturæ  
humanae corruptæ, qualis præcipue cernitur  
in infidelibus, in quibus nundum cœpit sa-  
nari per gratiam.*

¶. 1. *Dixit insipiens in corde suo,  
non est Deus.*

Non